R. A. 27. february 1644



33 36

VOTA ET MOTIVA A PROcessu Ioannis Michaelis Campi, Cæsaraugustæ habitatoris, super apprehensione, in articulo litispendentis.

CVM AVGVSTINO BAPTISTA SERON.

IN DEI NOMINE. Amen. Nouerint vniuersi, quod anno computato à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, die verò quæ computabatur vigesima septima mensis Februarij, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij causarum Ciuilium præsentis Regni Aragonum. Interuenerunt Magnifici Domini D. Vincentius Hortigas Regens Cancellariæ, in personam Maiestatis Domini nostri Regis, Doctor Michael Thoma Secanilla, Doctor Hieronymus Torrero, & Embum, & Doctor Didacus Canales Regij Consiliarij. Coram quibus fuit possitus processus Ioannis Michaelis Campi, super apprehensione in articulo litispendentiæ, in quo quatuor ex supradictis dominis de dicto Regio Consilio, fuerunt voti, & opinionis: Quod attent. content. &c. tenetur & debet pronuntiare, & non obstante reuocatione supplicata, quæ locum non habet, stare in prouissis, & pronuntiatis; & cum his de Consilio in bonis in fine appellitus præsentis apprehensionis confrontatis, mandare fieri contenta in propositione Ioannis Michaelis Campi prin. Vincentij del Plano procurat. præstita prius cautione forali, cœteris propositionibus repulsis, & reiectis, reseruatis iuribus reseruari supplicantibus, neutram partium in expensis condemnando, cętera supplicata locum non habere. Ex eo, & aliàs, quoniam constat legitimè de possessione, & dominio dicti

Ioan-

Ioannis Michaelis Campi, tàm tempore oblatæ præsentis apprehensionis, quàm per plures menses, & annos ante eam, & vsque in tempus, & tempore illius continuò, quod ad obtinendum in hoc summarissimo litispendentiæ iudicio, secundum foros, & practicos nostri Regni sufficere arbitramur. Reppellitur verò propositio Augustini Baptista Serõ prin. Petri Iosephi de los Vayos proc. quoniam de eius possessione legitima, minusq. de tempore oblatæ apprehensionis non liquet, quòd erat necessarium vt eius propositio, cum iustis oblata in hoc iuditio reciperetur. Denique reppellitur propositio Elisabetis Aznar prin. eiusdem Petri Iosephi de los Vayos, & Michaelis Hieronymi de Rios proc. quippè non probatur vllo vnquam tempore dictum Augustinum Baptistam eius debitorem fundum appræhensum possedisse, ad quod conuincendum, & concludendum, duo permittenda, & supponenda diximus. Alterum idem esse aliquid non probari, vel non legitimè, aut minus legitimè probari. Alterum verò, quod in articulo sexto triplicæ pro parte dictorũ Augustini, & Elisabetæ debitoris, & credetricis oblatæ narratur, & proponitur, nempè, quod Pierres de la Sala, in anno millesimo sexcentesimo quadragesimo præfatum fundum apprehensum posidebat, tritico, & ordeo per ipsum seminatum, & quia Reuerendus Ioannes Oliber, a domo quam posidebat in loco del Burgo ipsum expoliauit decreuit in villam de Mediana, vbi antea suos proprios lares habebat se conferre, ad quod faciendum dicti fundi apprehensi seminati cum quibusdam terrulis, quas in dicta villa de Mediana dictus Augustinus posidebat, cum ipso permutationem fecit inter Paschata Resurrectionis, & Spiritusancti præfati anni millesimi sexcentessimi quadragesimi volentes, vt ex tunc, dictam permutationem suum haberet effectum, ad quod probandum prædicta Elisabeta quatuor produxit testes, alter nuncupatus Petrus de la Sala secundus in ordine, qui super dicto articulo, & primo propositionis eiusdem asserit, se vidisse per aliquos annos dictum fundum

Augus-

Augustinum possedisse, vsque ad annum millesimum sexcentesimum quadragesimum primum, quo dictus Ioannes Michael Campi, illum ingresus fuit, arando, seminando, & fructus ex illo colligendo continuò, tunc sic, si per aliquos annos iste testis asserit vidisse Augustinum fundum litigiosum possidere, postea asserere dumtaxat illum vidisse vsque in annum millesimum sexcentesimum quadragesimum primum, sibi omnino contrarius, & varius est. Nam à Paschate Spiritusfancti anni millesimi sexcentesimi quadragesimi, quo fuit facta permutatio, & quo incipit videre possidere fundum Augustinum Baptistam, vsq. in annum millesimum sexcentesimum quadragesimum primum, nō fuerunt defluxi plusquam octo menses: ergo contrariatur sibi ipsi dictus testis, nam asserere vidisse possidere per duos annos, & postea per octo menses tantùm sunt sibi contraria, quare huic testi nulla fides adhiberi debet in nihilo tanquam suspectus de falso, cum in aliquo suspectus, in omnibus censeantur, & quamuis testis sibi contrarius, & varius omnibus modis conciliandus sit, vt varietas, & contrarietas euitetur, tamen quando ipsa est euidens, & manifesta, tunc nullo pacto fit concordia, vel reconciliatio, nisi tantum ad effectum euitandi illum de falso, nō tamen vt probet, cumq cōtrarietas, quæ reperitur in isto teste sit prefatæ qualitatis, hinc fit vt nulla ei præstanda sit fides. Nec refert omnem possibilem debere fieri interpretationem, vt testis dictum potius coadiuuetur, quam cabiletur, & eius fides pereat, & quod in præsenti ad saluandum eius dictum, sufficit se vidisse Augustinum possedisse per aliquod spatium anni millesimi sexcentesimi quadragesimi, & similiter per aliquod anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi, vt verificetur, & concilietur eius dictum nimirum, quod vidit per aliquos annos dictum Augustinum possedisse, quamuis non possederit, nisi octo menses, cum re vera partem vnius, & partem alterius anni dixerit, se vidisse illum possedisse. Nam respondetur, quod cum testis dicat se con-

tinuò per aliquos annos dictum Augustinum præfatũ fundum possedisse, nõ potest verificari vti parte, & spatio vnius, & alterius anni, sed per duos ad minus integros. cum illud verbum, *continuamente*, quo vtitur testis, non aliter posset verificari, qua propter resultat repugnantia inter ipsum, quæ cum sit notoria, & manifesta, vt dictum est, saluari non potest. Tertius testis qui est quidam custos, nihil circa possessionem concludit, nec de ea loquitur, sed de quadam occupatione messis, & curri eam portantis, quæ nihil ad propositum refert. Quartus verò, eodem morbo quo secundus laborat, siquidem asserit, se vidisse Augustinum possedisse fundum per annum, vsque in finem millesimi sexcentesimi quadragesimi, cum re vera non possederit, nisi per octo menses ad plus, qui efluxi, siue elapsi fuere à Paschate Spiritus Sancti præfacti anni millesimi sexcentesimi quadragesimi, vsq. in finem illius. Vnde pululat contrarietas, nam dicere se vidisse per totum annum possedisse, & dicere se vidisse dumtaxat per octo menses possedisse, contraria sunt, & testi contraria alleganti, & dicenti nulla fides adhibenda est. Primus testis numcupatus Pierres de la Sala, cui vltra, quod est singularis, denegatur fides propter inuerosimilitudinẽ sui dicti. Asserit enim in primo propositionis præfacti Augustini vidisse illum possedisse fundum litigiosum per duos annos & plus, vsque in tempus, & tempore apprehensionis, cuius dictum conuincitur ex dictis suorum contestium secundi, & quarti, qui asserunt, scilicet, secundus quod vidit illum possedisse vsque in annum millesimum sexcentesimum quadragesimum primum; alter vero vsque in finem quadragesimi: igitur, non vsque ad tempus apprehensionis, vt ipse asserit, cum illa vt ex processu apparet facta fuisset die decima octaua Madij anni quadragesimi secundi, & idem affirmant testis Ioannis apprehendentis, quod scilicet ille posidebat dicto tempore, igitur eius dictum tanquam inuerosimile, & suspectum repellendum est, & ad minus multum ei de fide detrahendum, quæ omnia coadiuuantur, fulciuntur, & corrobo-

robo-

roboratur cum eo, quod deducitur, articulatur, & probatur super articulo nono replicæ præfacti Ioannis apprahendentis, super quo quinque testes concludunt, vidisse dictum Ioannem, & non aliam personam fundum, litigiosum possedisse à tempore quo Pierres de la Sala recessit a loco del Burgo, & in villam de Mediana se contulit: ergo dicendum est superiori testium numero probari, & concludi prædictum Augustinum non possedisse, tempore quo eius testes, & Elisabeta asserunt, sed duntaxat Ioannes apprehendens, sicque tam ex hac ratione, quam alijs desuper perpēsis, & ponderatis, nullo vnquam tempore dictum Augustinum possedisse fundum litigiosum censemus, & ob eam rationem dictam Elisabetam eius creditricem non posse obtinere arbitramur, & ex his, & alijs atten. conten. ET alter ex supradictis dominis de dicto Regio Consilio ciuili, fuit voti, & opinionis, quod atten. conten. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & mandare fieri contenta in propositione oblata pro parte Elisabetis Aznar princ. Petri Iosephi los Vayos, & Michaelis Hieronymi de Rios procuratorum, cum expensis iuribus suis durantibus, & eis finitis contenta in propositione oblata pro parte Ioannis Michaelis Campi principalis, Vincentij del Plano procuratoris, præstita prius per partes respectiuè cautione forali, cæteris propositionibus reiectis, ac repulsis reseruatis iuribus reseruari supplicantibus, neutram partium in expensis demptis prædictis taxandis condemnando, cætera supplicata locum non habere. Ex eo pręsertim, & aliàs recipitur propositio Elisabetis Aznar, quoniam resultat ex processu, & pręcipuè ex depositionibus testium, scilicet Petri la Sala, & Michaelis Esteuan, pro illius parte productorū, Augustinum Baptistam Seron, à quo causam habetur dominum, ac possessorem fuisse fundi apprehēsi, illumque possedisse in anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, collegisseque fructus illius, ac in proprios vsus conuertisse, quod cum contingerit post concesionem instrumentorum comandarum, cum quibus agit dicta Elisabeta, nemini dubium

esse

esse potest fundum apprehensum hipotecatum existere pro solutionibus illarum, nec refert si officiatur præfatas depositiones esse omnino contrarias depositionibus quinque testium productorum pro parte Ioannis Michaelis Campi, qui vniformiter concludunt super nono articulo replicæ, quod postquam Pierres dela Sala mutauit suum domicilium de loco del Burgo ad villam de Mediana, viderunt possedisse dictum fundum Ioannem Michaelem Campi, vsque ad tempus apprehensionis, quod non compatitur cum eo, quod asserunt prædicti duo testes, scilicet, quod in anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, viderunt illum possidere Augustinum Baptistam Seron, secare meses, ac collegisse fructuus, cum appareat in dicto anno prædictam mutationem domicilij, fuisse factam ante tempus secandi menses, & colligendi fructus illius, scilicet, inter duo Paschata Resurrectionis, & Spiritus Sancti. Nam respondetur, quod prædicti quinque testes non asserunt confestim, vt mutatum fuit dictum domicilium, cœpisse possidere fundum Ioannem Michaelem Campi, sed post domicilium mutatum, dictio enim post secundum doctorũ censuram equiuoca est, vtrumque tempus significare potest, siue mediatum, siue immediatum pro subiecta materia patitur in confesso enim est in præsentiarum subiectam materiam pati, vt vterque tam Augustinus Baptista Seron, quam Ioannes Michael Campi, vnus post alium fundum potuerint possidere post dictam mutationem, ante tempus apprehensionis, scilicet, dictus Seron in anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, & in parte anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi, & de inceps per reliquum tempus dictus Ioannes Michael Campi, vsque ad tempus apprehensionis, quæ fuit præmissa in mense Madij anni millesimi sexcentesimi quadragesimi secundi, & cum hoc possibile sit propter temporis diuersitatem nulla inter dictos testes inuenitur cõtradictio. Præterea nec supra dictis refragatur, quod Petrus de la Sala testis dixerit vidisse, quod dictus Augustinus Baptista possedit fundum per aliquos

quos annos continuos; nam cum non dicat integros, & completos verba hæc verificari possunt in partibus annorum millesimi sexcentesimi quadragesimi, & millesimi sexcentesimi quadragesimi primi, vt patet hoc sensu, quæ verba necessum est, ita intelligantur, nec expresse pugnare videantur, cum illis immediatè sequentibus: *Hasta que en el año mil seyscientos quarenta y vno, Iuan Miguel Campi entrò en el, y lo cultiuò, y sembrò, y segò*; nam potuit in mense Ianuarij, aut Martij collere, & seminare illum, & in mense Augusti colligere fructus. Tandem, nō obstat alia depositio Michaelis Esteuan in eo, quod dicit: *Y esto por tiempo de vn año, hasta que el año passado auiendolo hecho guebra a los vltimos del año mil seyscientos y quarenta, Iuan Miguel Campi se entrometio en el*: quæ verba insinuare videntur dictum fundum apprehensum, sub anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, fuisse cultum, ac possessum per dictum Cāpi, atque ita falsum dixisse Petrum de la Sala in eo, quod dixit possedisse Baptistam Seron per aliquos annos cōtinuos, quòd non posse verificari videtur, nisi in annis millesimo sexcentesimo quadragesimo primo: sed facilè respondetur, nam illa verba: *Auiendo hecho guebra*, non possunt applicari, nec referri, nisi ad dictum Campi, qui non fuit ingressus possessionem, nisi in anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo; sed ad Baptistam Seron, de quo prius dixerat iste testis, quod vidit, illum posidere per vnum annum millesimum sexcentesimum quadragessimum, quod si in fine dicti anni alius posideret, sibi ipsi contradiceret, nam non esset. Verum, quod per tempus vnius anni vidisset, illum posidere, ne enim sibi ipsi contradicat, iuxta iuris regulas sumenda est interpretatio begninior, quæ magis accedit veritati, & est conformis dicto sui contestis. Recipitur etiam propositio Ioannis Michaelis Campi, iure plenij dominij, quoniam de eius possessione fundi apprehensi constat tempore oblatæ, & per aliquos menses antea. Repellitur vero Augustini Baptista propositio, quia defuit in proba-

tione

tione possessionis eiusdem temporis oblatę: cæteræ propositiones reppelluntur, quia non probarunt, aut non publicarunt. Et aliàs atten. conten. &c.

SIGNVM mei Hieronymi Segouia, Scribæ Mandati Maiestatis Dñi nostri Regis Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, qui huiusmodi, vota & motiua a libro Regij Consilij causarum Ciuilium præsentis Regni, vbi continuata existunt, manu mea propria extraxi, & cum eo benè, & fideliter comprobaui, in quorum fidem, & veritatis testimonium meo solito signo signaui. Constat de suprapositio, vbi legitur alijs, &c.